

## Werk

**Titel:** Ad Emin. et Rev. principem Carolvm S. R. E. Card. Rossettv[m] Episcopvm faventinv

**Jahr:** 1646

**Kollektion:** Zoologica

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN367611805

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN367611805>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=367611805>

**LOG Id:** LOG\_0102

**LOG Titel:** De Lanario Gallorum Cap. X.

**LOG Typ:** chapter

## Übergeordnetes Werk

**Werk Id:** PPN367611716

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN367611716>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=367611716>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

## VOLATVS.

**Q**uanquam (verba sunt Alberti) non tã velocis in volando sit, quã niger, diutius tamen in auium persequutione durat, & hac in parte compensat, quod deest velociati.

## VENTVS. MORES.

**T**estatur Tardius præstantem, & audacem esse Falconem album, præsertim si adultior seu hornorinus ( vulgò Sorus) captus fuerit. Attestatur huic Albertus, dicens cum non esse minus audacem nigro, etiam si frigidiori, humidiori; sit temperatura. Nam (inquit) cum robustior nigro sit, virium suarum fiducia ipsum quoque audacem reddit. Præterea etiam si Lanario similis sit, nusquam tamen à natura Falconis degenerat, nec more Lanarij refert. Nam cum inter venandum ascenderit, non more Lanarij alis suspensus manet, sed statim, vt Falco ferit,

## INSTITVTIO VSVS.

**T**ardius ad volatum, seu venatum auium non emittendum esse hunc Falconem assertit, antequam penas mutauerit, id est, nisi anniculus sit, aut bimus. Tunc enim demum robur integrum, ac perfectum assequi. Quod ad nutritionem, & aucupium attinet, nihil ab alijs distare videtur Albertus tradit.

## DE LANARIO GALLORVM. Cap. X.

*Lanarij duplex generis.*



*Cur Gallicus ascaur.*

**C**VM inter vltimos Accipitres de Lanario particulatim ageremus, monuimus duplex Accipitrum, qui Lanarij dicuntur, & quidem diuersissimum, genus esse, vnum nempe ignobile, & ignauum, infimis meritò Accipitribus ascendendum, cuius historiam suo loco enarrauimus, alterum verò generosum, ac strenuum toto habitu, ac natura, atque adeo specie à priori dissociens, quod Gallicum eo vocari meretur; quod omnium rei accipitrariæ authorum testimonio Gallie peculiare sit, & proprium. De hoc seorsim instituendum sermonem, & quidem istoc loco putauimus eoque potissimum quod à Gallis omnibus inter nobiliores Accipitres recensetur, & Falconis nomine virtutis meritò donetur. Viribus enim cum corporis, tum animi, multis etiam Falconibus præluet, ideoq; Rubea dicto, & cyanopodi aliisque minus generosis præponi meretur, ac octauum in Falconum classe ordinem, dignitatis ratione haud cemerè sibi vendicat.

## NOMINA.

*Laniens. Laniers.*

**H**os Galli Faulçons Laniers vocant. Mari seu tertiaro Laneret, nomen dant. Italis similiter Falconi Lanini dicuntur. Vnde vulgò Latinam Lanarii Falconis vocem factam auuimo.

## DESCRPTIO.

*Alberti Lanarius q' a l. 2. ap. 22. b l. 1. 2.*

*Lanarij Gallici, & Italici distincti.*

**Q**uemadmodum Lanarium Gallicum à Lanario Alberti (hic, n ex a Buteonum familia esse videtur, & Buteo albus quibusdam dicitur) toto celo differre certò scio, ita etiam sum incertus, an mihiq; hæreo, num quem Galli Tardius, & b Bellonius describunt, & celebrant, idem sit cum eo, quem Carcanus noster graphicè depingit. Itaq; non ab re separatim, licet in eodè capite, & cum adiecta distinctione de vtroq; agendum putauim, nec confundendam historiam, ne quod semper vnicè caui, lectori tenebras offunderem, aut confusionè aliquam parerem. Dubitandi mihi hæc causa est, quòd cum descriptionem ab vtrisque authoribus positam sibi mutuò confero, in plerisque quidem conuenire, in paucis verò discrepare eam video, præsertim quod ad figuram, seu formam exteriorem attinet. Nam Italicus magis flavus, Gallicus magis albus, & nigro varius videtur. E contrario verò actionibus multò sunt dissimilimis. Etenim vel ipso Carcano teste, ac iudice, Gallicus tã animi, quàm corporis fortitudine

10 titudine longè maiori est, & rapacitate, & ad venatum aptitudine, & docilitate nostram an-  
 reit multis passibus. Hoc saltem lectorem monitum volui, vt penitiorum examinationem  
 vtriusque cum ex apponenda à nobis historia, tum proprijs oculis, si occasio aut facultas simul,  
 & Gallicos & Italicos nanciscendi dabitur, veritatem rei inquirat. Gallicum Tardius & Bel-  
 lonius hoc pacto describunt. Falco Lanarius minor est Falcone gentili seu nobili pulchris pen-  
 nis ornatus, & hac parte Sacro formosior. Certissima sunt notæ, quibus Lanarium licet digno-  
 scere, ac indubitata, nimirum quòd rostrum cruraq. cum pedibus habeat cærulea, plumas ve-  
 rò anteriores nigro ac albo varias, idq. maculis non quidem tranversis, sed plumas in longū  
 distinguentibus, contraria atque in Falconibus ratione. Plumæ dorsi non admodum variega-  
 tæ sunt, vt neque alarum & caudæ, parte superna, & externa. Et si fortè in his maculæ quæ-  
 dam conspiciantur, eæ exiguæ sunt, teretes & albidae. Verùm alarum extensarum partem in-  
 ferriorem seu pronam contemplantis notæ apparebunt, figura à reliquarum volucrum rapa-  
 cium notis differenti. Sunt enim rotundæ, ac instar exiguorum nûmularum per superficiem  
 disseminatæ, licet, vt diximus pennæ pectoris & partis corporis anticæ varietates in longi-  
 tudinem protensas ac super marginibus dispositas ostendant. Collo est breui ac crassiusculo,  
 ac rostro simili. Lanarius mas corpore quidem est minore, cæterum eodem ferè pennarum  
 colore. Præfertur, inquit, Tardius cui caput grandius, & pedes magis cæruleo tinguntur, siue  
 is nido exëptus, siuè a dultior captus sit. Pedibus est omnis, quæ reliqui Falcones, breuioribus.

Italicorum verò nostrorum formam Carcanus hoc ferè modo exponit: Sunt nonnulli  
 corpore grãdi, alij mediocri, minori aliqui. His omnibus caput flauum totum, vertice planum  
 ac fessile. Oculi nigri, ac magni. Nares maiori parte exiles, rostrum breue ac crassum, & minus  
 quàm Falconi peregrino, nec non montano, coloris cærulei. Pectus flauum, raris, & ferrugi-  
 neis Maculis distinctum. Dorsum quale Falconi peregrino. Extremæ verò aër veluti ocellis ro-  
 tundis albisq. pictæ apparent. Alæ, & cauda longæ: Crura breuia. Pedes longè, quàm pere-  
 30 grino, aut Montano minores, coloris cærulei. Hisce verò, qui plumas veteres aliquando exue-  
 runt, seu vt vulgò vocant, mutatis, caput vniuersum ad humeros vsque flauo colore tingitur,  
 sed ad rubidum vergente, & lineis quibusdam tenuibus distincto. Tergum cyaneum lineis nig-  
 ris tranversis, quibusdam verò aureis variis. Pectus flavescit colore saturo, nullis guttis  
 respersum. At plumæ femorum paucis ac transversis ductis notis variant. Mutatur his pes,  
 qui ante cæruleus fuerat, in luteū Difficulter verò hornotini, seu fori à mutatis dignoscuntur.

Eadem ferè notas Lanarij suis (ita enim vocat) assignat Fredericus Imperator, ita scribēs.  
 Falcones Lanarij Gentilibus minores sunt, capite & collo pro corporis proportionem crassiori-  
 bus. Longi sunt, & subtiles, parumq. carnosī. Pedes habent paruos, digitos crassos, breuesq. ac  
 coloris flauī. Alij verò fusci sunt; alij ad rubedinem vergunt, & pro maiori parte pallidi sunt.  
 Omnes verò in dorso maculati sunt, alij tamen plus quàm alij. Qui alijs præferendi sint, ex for-  
 ma eorum atque colore haberi nequit. Quoniam ex singulis boni & minus boni reperiuntur:  
 40 illos tamen nos pulchriores existimamus, qui cum corporis forma tū colore magis ad Sacros  
 accedunt. Mutati Lanarij in pectore albi euadunt, & in gula maculas habent nigras, paruas, &  
 rotundas. Alij incani sunt, maculis nigris, satis euidenibus, in extremo albis distincti. Hi post  
 depositas pennas deteriores fiunt, neque amplius ita audaces sunt, ac veloces, vt antea.

## LOCVS NATALIS.

Lanarium passim Tardius in omnibus regionibus reperiri scribit, sed proculdubio de  
 Gallia Prouincijs id intelligit. Plerumq. enim Bellonius teste, in Gallia nidum facere  
 comperit, quem extruit, aut densorum nemorū excelis arboribus, aut altis rupibus  
 30 pro regionis varietate. Italicus nosfer, de quo Carcanus, nascitur in montibus Vicentinis, &  
 in alpijs, quæ Italiam à Germania dirimunt, vt idem Carcanus Vicentinus ipse asserit. Galli-  
 cus, vt ait Bellonius, Gallia perpetuus est, semperq. tam hyeme, quàm æstate, præter aliarum  
 rapacium morem ibidem conspicitur, quod regionis aerem ei admodum familiarem, & natiuū  
 indicat. Cæteræ verò rapaces æstate plerisque regionibus, præsertim frigidioribus, cuiusmodi  
 est Gallia, degunt tantummodò.



## VENATVS IN GENIVM.

*Qua aues  
venentur,  
Lanarius  
Gallicus.* **L**Anarius Gallicus, cum moribus sit facilibus, ac docilis, tractabilisq; ingenij tradete Bel-  
lonio, ad omne aucupij seu venatus volatici genus tam aquatile quã capestre appri-  
mè idoneus est. Caput non solum Picas, Coturnices, Perdices, Cornices, Phasianos,  
sed & Anates, immò, & Grues humana præsertim industria instructus. Quinetiã Carcanus ipse  
Gallicus Lanarius hoc nomine prædicat, & à Gallis in pretio haberi, & frequẽti, ac grato vsu  
esse ait, q̃ eorũ opera in lacustribus Anates capiãt. Et cũ societate maximè gaudeãt, multos vnã  
socios in Anates venaturos emittunt. Quoniam verò alis diutissimè in æthere supra prædã sus-  
pensi hèreãt, tantoperè Anates fatigant, vt & canũ opera, & sustibus plurimas occidãt. Atq; hac  
ratione plures interimũt, quã ipsorum et Lanariorum rapacitate. Hæc Carcanus aliorum fide,  
dignorũ, vt ait, relatu asserit, quòd Lanarios hos præstantissimos eadere venatores sibi simi-  
liter affirmarint. In Italia verò hunc venandi, seu aucupandi per Lanarios modum vsitatum  
esse negat, fortasse quòd minus artis, ac industria, adeoq; minus oblectamenti habeat. De Ita-  
licis verò idem Carcanus paulò aliter scribit in hunc ferè sensum, Lanarij nostrates alarum  
æquilibrio in aere sese suspendunt diu admodum, & frequentet. Si in agris quempiam conspi-  
ciunt, qui Accipitris opera seu Sparuerij aues capret, confestim hunc sestantur supra canes vo-  
litantes tantisper, donec emissio in auem quampiam Accipitris, magna pernicitate deuolet. Et si  
contingat Sparuerium in capiẽda aue, ne mpe Coturnice, aliaue huiusmodi quampiam pigrari,  
at tardiore esse, eam insequi non desistent, donec prædã in suam potestatem redactã capi-  
pant, aut ex alto in terram deturbent, ac deuolare cogant. Hanc volatu delapsam in humum,  
aut latebris se abscondent, aut alia ratione effugium quã remem̃ minimè impetunt, icuntq; de-  
nuò, verum in aere se sustinentes veluti stant, ac tanquam immoti pendent, & suo more vo-  
lare pergunt. Hac obvolitantis, ac venationem interturbantis Lanarij molestia si se liberare  
volet accipitrarius, opus est vt curet, quòd quauis ratione Coturnicem vnã capiat. Ita enim  
futurum, vt hanc consequutus abscedat, neque amplius Accipitrario molestus sit. Si fortè  
fortuna canes venatici gregem aliquem Perdicum deprehensum excitant, Lanarius instar  
fulguris deorsum ruit magno ac veloci impetu, vnãq; è grege abripit, aut in latebras sese ab-  
dere cogit, ita vt aliquando eã post Accipitris opera ab accipitrario capi contingat. Non pos-  
sum hic silentio prætereire, quid ante annos non ita multos nobili cuidam ciui Vicentino ami-  
co meo summo Vincentio Brandicio euenerit, quod ad rem nostram, & ad declarandã Lan-  
narij naturam ea historia faciat. Hic cum aliquando venationi intentus Accipitrem suum seu  
Nisum, quem vulgò Sparuerium dicimus, ad capiendam Coturnicem emisisset, aduolans Lan-  
narius hunc statim vnguibus arripuit, abreptumq; ad teli iactum secum per aera asportauit.  
Hanc rem videns vir ille, statim accurrit, opem suo Niso allaturus; at tardus venit. Iam enim  
Lanarius præ metu Nisum ex vnguibus in terram delabi fuerat, sed prius interfectum. Rei  
huius euentu obstupefactus venator, ex quo descendit, & quo vindictã de Lanario Nisi sui  
interemptore fumeret, rete tetendit super aue sua mortua, qua Falconem caperet, eoq; factò  
secessit, Lanarius, qui non longè ab eo loco relederat, ad Nisum à se necatum depascendum  
aduolans, in casses incidit, & comprehensus à domino occisi Nisi iusta ira successu interem-  
ptus fuit. Ego qui fortè fortuna hunc meum amicũ adierã visiturus, Falconem mortuum  
vidi, & Lanarium pulcherrimum esse, & qui iam senectã exuerat, corpore grandi, ac specio-  
so agnoui. Hanc rem gestã referre volui, vt admoniti venatores ab hisce Lanarijs sibi cau-  
ere queant. Horum Lanariorum hic est vsus, vt supra canes venatores, seu indagatores in aere  
sefe aliquandiu librent, meruq; incusso Perdices, Coturnices, aut Phasianos gradum sistere cog-  
gant neque diffugere. Et si auiculam quampiam è reti euadere accidat, tum statim eam deuol-  
lans Lanarius rapit. Emittuntur etiam iidem Lanarij ad venatũ in Perdices, Coturnices, Pha-  
sianos. Quas aues si primo insultu nonprehendunt, volucres obseruant, atq; vt vulgò loquũ-  
tur accipitrarij, signant, quod etiam Aistures facere solent. At rarerer eas occisas in terrã  
precipitant, sed simulatq; descenderint, supra easdem in aere aliquandiu volantes hærent.  
Ego quidem, inquit idem Carcanus, de Italicis loquens, nunquam eos ita instituerè potui, vt  
frugem aliquam facerent, aut ad volaticum venatum idonei euaderet. In Gallia verò magni  
æstimantur, relatumq; mihi est, in ea regione eos instrui ad lacustrem venatum, ac ternos vel  
quater nos pluresuè Falcones emitti, qui supra aquis seu eo loco, vbi Anates sunt, volitent, eaq;  
ratione Anates capi, verum in nostra Italia nullius sunt vsus aut pretij. Hæc hætenus Carca-  
nus, ex cuius verbis intelligere est, multa in vtroq; scilicet Gallico, & Italico Lanario disparia,  
multa etiam similia reperiri. In actionibus enim, a uadacia, rapacitate, docilitate, & ad venatio-  
nem

10 nem aptitudine, moribus denique admodum dissident. Omnia hæc in Gallico præstantissima etiam ab ipso Carcano Italo, alijsq; celebrantur, contra atq; in Italico. Verùm corporis habitu, ac figura non ita sunt dissimiles. Quin etiam, si Carcano, hæc in re, qui audita refert, ubi nimirum modum, quo Anates Lanariorum opera Galli capiunt, superius exponit, credendum est, volandi etiam more conuenire. Motu enim tonico, alarumq; veluti trepidantium suspensu in aere libratos diu hæreere supra Anates, Gallicos Lanarios dicit Carcanus, quod quidem cæterorum Lanariorum, minusque generosorum Falconum, Accipitrumuè, cuiusmodi sunt Buteones, Tinnunculi, Lanarij, Cyanopodes, alijsque naturam sapit. Etenim vt id verum esse pernaciter negare nolim, sanè Gruius capiendis eum volandi ritum (in Accipitribus sanè damnatum, ac vitiosum) ineptum esse quis videt, in què tamen Galis seruiunt, & instituantur, vt docet Tardius, vt paulò post exponemus, Taceo nullum Gallorum authorum neque Tardium, neque Bellonium hunc volandi morem in suo Lanario notasse, eiusq; vsipiam meminisse. Hæc, & aliæ rationes scrupulum mihi iniecerunt, num isdem planè essent (specie) nam in genere Lanariorum conuenire constat) num diuersi, vti patria sunt diuersa. Et ne quis mireretur, rem, vt cuiuspiam videbitur, tantillum mihi negotium faceffere, non alia quàm veritatis inquirendæ, omnisiq; ex lectòri, animo ambigendi occasionis, ac vt vulgò loquimur, tollendæ confusionis, quantum in me esset, causa id me facere præfatus, adducam longè me priorem, & inter neotericos satis vetustum authorem arte, ac professione accipitrarium Belisarium, quem eadem difficultas torfit. Ita enim de Lanario scribit: Villanos (ita Lanarios tanquam ignobiles nominat) audiui in Gallia optimos reperiri. Quod an venatorum arte, industriaè, aut ipsarum auium natura eueniat, non comperimus. Fieri enim posset, vt quum si rigida sit Galliæ regio (nam frigore fit, vt appetentiores cibi sint aues) duci, impelliuè inde possint villani, vt sociatim magis ferire, aucupariq; aues solcant. Vnum hoc scimus, auium ipsarum opera proprietati nominis respondere, quum in regione nostra (de sua loquitur) nec animo viribusque nec volatu ita valeant, quin reliqua Accipitrum genera à nobis descripta longè præstantiora eis ad aucupij vsum inueniantur. Hæc Belisarius.

*In quibus conueniat. Hæreere in aere quibus conueniat*

## INSTITVTIO. CVRA.

**L**Anarium (inquit Tardius Gallus) etiam Gruius capiendis idoneum reddes hoc pacto. Impone eum in cauernam, seu cellam subterraneam, ubi lucem, nisi quum pascitur, non videat. Manu non gestabis, præterquam noctu. Quum volueris eum aucupari, ignem in loco illo excita, vt calefiat, tum igne remoto lauato auem vino mero, & in locum eundem reponito, cerebro Gallinæ pascito, & diluculo ante ortum Solem venatum prodito. Quum primum illuxerit, eminus eum in Grues emittito. Nihil autem capiet primo die, ni fortuito id accidat. Reliquis verò deinceps diebus utilis erit futurus, præcipuè quidem à medio mense Iulio, vsq; ad Octobrem medium. Postquam pennas mutarit, præstantior erit. Tèpore frigido vt hyeme, inutilis est. Non opus habet delicato victu. Crassiora alimèta, teste Bellonio, melius cæteris Falconibus, ac facilius conficit. Carcanus ita eos nutriri vult, vt semper famelici sint, si rectè aucupari eos quis volet. Et cum eiusmodi eum Falcone sacro, vt idem inquit, sint naturæ, tam his, quàm illis, cum ægrè admodum stomachi excrementitios humores expurgando reijciant, non xylina, aut gossypina, sed stippea, aut linea turunda in os indita expurgandus, ac inaniendus est, aut xylina turunda est, paucula stippea obuolui debet. Huius ope futurum est, vt debito tempore excrementa reijciant, atque, vt aiunt accipitrarij, purgetur.

*Vt Grues capiat.*

*Quamdiu utilis fuit vsus. Vitiosus.*

*Quomodo purgandus.*

## DE FALCONIBVS LAPIDARIO, & Arborario vocatis. Cap. XI.



30 **F**TSI dubitent nonnulli, neque id forsan omnino temerè, vtrum duo hæc minorum rapacium genera, quæ Dendrofalcos, & Lithofalcos vocant, reuera in Falconum censu reponi debeant, an potius Accipitribus attribui: Quoniam tamen teste Alberto, Falconum naturam magis participant (Lithofalcum enim peregrinoquidem minus generosum, at Gibbosò audacia nihilo inferiorum, immò potius superiorem, nempe mediæ inter vtrumq; Falconè indolis constituit; & Dendro-

falcum animi vigore inter huncipsum Gibbosum, & Metallum, seu Aesalonem vi differre asserit)